

quam curatius iam definire operam dabimus. Quare id vnum ad-
damus, quod ad grammaticam huius vocis considerationem spectat,
esse eam multiplicis formae. Nam et nominis substantiui, quod di-
cunt grammatici, et adiectiui formam habet, flectiturque tam ad se-
cundum, quam ad tertium typum declinationum, vt exempla et in
libris nostris, et in veteribus Latii scriptoribus obuia sat multa
docent,

§. V.

FINITVR NOTIO SEQUESTRATIONIS.

QVARE iam adcedo ad id, cuius caussa potissimum haec omnis
disputatio suscepta a nobis est, vt scilicet periculum faceremus, cu-

D 3

ratius

significationes habeant, quid quae-
uis sibi proprium, qua in re et hoc
non inutiliter, certe iucunde, saepius
quaeritur, quae significatio vocis
tempore potissimum prior fuerit, et
quomodo ex eadem reliquae sint sen-
sim natae, denique cuius significatio-
ni singulari subiungat loca illa, qui-
bus ea vox eo sensu in libris nostris
legitur, non tantum ita, vt nominet
loca, sed vt ipsa verba adponat, quo
statim iudicare possint legentes, an
recte cuique significationi quisque
locus subiectus sit. In hoc genere
autem, quo quaeritur, quo sensu quo-
uis loco vox quaedam adcipienda,
et intelligenda sit, quum saepe sint
multae doctorum virorum dissensio-

nes et contentiones, de his quoque
aliquid adiiciat velim. Qua ratione
si quis vellet vir doctus BRISSONII
libros de verborum in iure significa-
tione post HEINECCII curas transfor-
mare, ideoque plane nouos confice-
re, is, puto, faceret rem gratissi-
mam omnibus non tantum, sed et
iucundissimam iis, qui iurisprudentiae,
inprimis elegantiori, operam nauent.
Quam rem vt ipse perficere possem,
saepe optaui. Sed est ille labor
multorum annorum et hominis bene
in re grammatica et critica versati,
maxime autem omnibus praesidiis
multiplicis lectionis instructi. Qua-
re quum sentiam, quam sim eidem
impar, lubens cum aliis relinquo.